Quodlibetaria Quaestio agitanda in Scholis Medicorum

Die 3a Decembris

M Joanne Fernel Medico Regio Moderatore.

Eademne Dispersis atq; Popularibus Morbis Curatio?

E Morborum causis evidentibus efficacissimam vim obtinet victus, et aer: ille morbis materiam, hic speciem confert; victus plethoram, cacochymiam, aliaque humorum vitia et viscerum obstructiones, ex hisq; natam putredinem, quae proxima et continens est morborum causa, ab antecedente ducta: aer interdum humorum putredinem sine obstructione, interdum graves, perniciososque morbos sine putredine.

Victus diversos, aer populares morbos inducit, hos acutiores, vehementiores, magisque perniciosos quam qui vi diversos ducuntur (nam et ardentes febres, et dysenterias, multosq; morbos, alias populares, alias diversos esse contingit, si quidem in aere et corporibus, illi in venis, et in nutricis partes primum maximeq; insilium.

Dispersorum celeres quidem et acutos efficit humor tenuis et acer, qualis fere biliosus est, humoris copia, loci dignitas, atque sensus eximius: tardos humorum crassities et lentor, loci abjectio, et sensus hebes, hos saepius longo dierum mensiumve numero solvi contingit, illos vero citra diem vigesimum judicari: quorum crisim praecedunt initium, incrementum, atq; status, coctionis cruditatisve signis internoscenda.

Popularium acuti ante crisim tria tempora sortiuntur, alias concoctione, vel cruditate, alias symptomatum saevitia et malignitate distincta: in his urinae coctionem fallacem, exitium saepe crisi consequitur, in his quam in dispersis, decretoriorum dierum vis maior, celeriorq; temporum mutatio.

Dispersi morbi humorum praeparatione, atq; vacuatione curantur propagatione frequentius, utriusque venae sectione initio utiliter non autem cocta materia celebranda: populares venae sectione magis, deinde sudoribus, et his quae proprietate malignitatem extinguunt, vel cordis quoque robur tuentur.

Non Igitur eadem Dispersis, atq; Popularibus Morbis Curatio.

Asserebat Lutetiae M Johannes Noblet Rhemensis . Anno . M·DXLIX·

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE